Flora.

№. 15.

Regensburg, am 21. April 1842.

I. Original-Abhandlungen.

Nova genera plantarum Africae tum australis tum tropicae borealis proponit et describit Ch. F. Hochstetter.

Continuatio.

(Conf. Flor. 1841. Nr. 42.)

Verbenaceae.

Cyclonema (nomen derivatum a filamentis intra corollam adhuc clausam in orbem spiraliter contortis).

Character: Calyx campanulatus brevis quinquedentatus vel quinquefidus lobis vel dentibus obtusis, corolla hypogyna tubulosa resupinata, subbilabiata vel inaequaliter quinquefida, labio superiori (antico) bipartito, lobis obovatis majoribus, inferiori (postico) tripartito, lobis lateralibus obovatis paulo minoribus, medio galeato complicato, omnibus secundis adscendentibus; stamina quatuor subdidynama longe exserta tubo inserta, filamentis adscendentibus versus basin paleaceo-hirsutis, aestivatione intra ga-

leam spiraliter involutis; ovarium quadriloculare loculis uniovulatis, stylus filiformis stamina superans, stigma bifidum. Drupa baccata tetrapyrena pyrenis distinctis unilocularibus monospermis.

Frutices Abyssinici et Natalenses foliis oppositis simplicibus, petiolorum basi persistente, corymbis terminalibus et axillaribus paucifloris trichotomis.

1. *Cyclonema myricoides Hochst.* (Spironema myricoides *Hochst.* *) Fl. Abyss. exsicc. Un. it. nr. 330.) — *Clerodendron myricoides RBr.* in *Salt.* Abyss.? — nomen Abyssinicum „Sur Batteri" in linguam germanicam versum „Stockwurzel." Frutex ramis foliisque oppositis; folia obovato-lanceolata acuminata, in petiotum attenuata, integerrima vel plerumque superne parce serrata, margine ciliato-scabra, superne pilis brevibus parce inspersa vel glabriuscula, subtus plerumque glabra, reticulato-venosa et obscurius punctata; corymbi trichotomi ramulis (pedunculis) elongatis glabriusculis vel puberulis, ad divisionem bracteatis, pedicellis paulo infra florem infractis bracteolatis, bracteolis ciliatis minutis; flores majusculi subpollicares foetidi; calyx glaberrimus subcoloratus dentibus brevibus obtusis; corolla cyaneo-violacea, exsiccatione fulva. Habitat in Abyssiniae montibus

*) Nomen mutandum erat ob genus eodem nomine insignitum Lindleyanum inter Commelinaceas.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr06935-0230-4

vulgaris, Julio et Augusto florens. Genus ad Clerodendron et Volkameriam proxime accedit. *)

2. *Cyclonema sylvaticum Hochst.* in *Kraussii* plt. exsicc. Africae australis nr. 333.

Foliis obovatis superne dentato-serratis hirtis (praesertim ad venas), calycibus quinquefidis hirto-pubescentibus.

Priori simile, sed foliorum forma, calyce profundius inciso hirto et floribus minoribus satis diversum.

Habitat in sylvis primitivis coloniae Natal prope Umlaas River in Africa australi; Octobri floribus ornatum invenit Dr. *Krauss.*

3. *Cyclonema serratum Hochst.* in *Kraussii* plt. exsicc. Africae australis nr. 335.

Foliis obovato-rhombeis inciso-serratis basi cuneatis integerrimis utrinque calycibusque quinquefidis hirtellis.

Vix nisi foliorum Chenopodii muralis similium forma a priori differt, cujus forsan varietas; sed quoniam clarissimus Dr. Krauss plantas vivas distinxit, ego conjungere non ausim.

Habitat cum priori in sylvis primitivis coloniae Natal prope Umlaas River eodem tempore florens.

---

*) Etiam *Volkameriae* genus in Abyssinia habitat. Nova hujus generis species a Schimpero lecta est Volkameria cordifolia mihi, suffruticosa foliis petiolatis ovato-cordatis glabris, caule petiolisque minute pubescentibus.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr06935-0231-0

4. *Cyclonema? hirsutum Hochst.* in *Kraussii* plt. exsicc. Africae austr. nr. 106. c.

Fruticulus vel suffruticosum ramis foliisque oblongis integerrimis hirsutis, calycis quinquefidi hirti segmentis angustis acutis. — Calyce potius *Volkameriae* speciem refert, sed flore nostrum genus. Habitat in Africa australi — locum specialem non notavit Dr. *Krauss.*

Stilbineae.

Eurylobium (nomen impositum ob lobos corollae latos, qui in Stilbe et Campylostachy angusti.)

Character: Calyx prismatico-quinquangularis membranaceus (in Stilbe coriaceus) aequalis quinquedentatus, corolla hypogyna tubulosa membranacea quinquefida lobis duobus superioribus majoribus altius connatis, omnibus latiusculis ovatis obtusis trinerviis, tubo intus hirsuto; stamina quatuor (quinto sterili nullo), antherarum ovato-cordatarum thecis basi divaricatis apice confluentibus; ovarium biloculare loculis uniovulatis, stylus filiformis, stigma vix conspicue emarginatum; fructus — —

Fruticulus foliis quaternis angustis confertis coriaceo-rigidis, foliis terminalibus dense spicatis, omnino *Stilbes* facie, sed si *Campylostachys Kunth* a *Stilbe* separanda, etiam haec planta ab utroque genere divellenda. Corolla ad *Stilben*, staminum numero ad *Camplostachyn* accedit, sed

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06935-0232-6

calyce et tubo intus hirsuto (nec ad faucem barbato) ab utroque genere recedit.

Eurylobium serrulatum Hochst. in *Kraussii* plantis exsiccatis Africae australis nr. 1110. — *Stilbe serrulata Hochst. mscpt.* (sic primum inscripseram). Frutex 1—2-pedalis foliis quaternis erectis rigidis linearibus subtus impresso-punctatis margine serrulato-scabris, floribus terminalibus dense spicatis albis.

Ad *Stilben albifloram E. M.* habitu proxime accedit. Habitat in Africa australi inter rupes cacuminis montis prope Genadenthal in colonia Capensi, Decembri florens.

Polygaleae.

Lophostylis (ob stylum apice in cristam complanatam dilatatum) — *Securidaca* Fresen. in Mus. Senckenb. Tom II. p. 275.

Character: Calyx pentaphyllus deciduus inaequalis, sepalo postico et anticis duobus approximatis parvis, duobus lateralibus interioribus maximis petaloïdeis. Corollae petala tria vel quinque hypogyna mediante tubo stamineo basi subcoalita, antico galeato complicato apice emarginate bifido, posticis duobus minoribus conniventibus, lateralibus subnullis (si adsunt, tubo supra basin adnatis squamae formibus minimis). Stamina octo subaequalia hypogyna adscendentia in tubum stamineum antice fissum connata, antheris terminalibus subunilocu-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06935-0233-2

laribus infra apicem poro apertis. Discus hypogynus protuberans; ovarium uniloculare uniovulatum; stylus adscendens compressus apice in cristam compressissimam inciso-crenatam dilatatus, stigma bilobum cristae sub apice insertum Fructus samara monosperma, margine postico in gibbum vel dentem producto, antico in alam longam latamque expanso; semen subrotundum utrinque compressum pendulum. Frutices vel arbuscula foliis alternis simplicibus, petiolis basi articulatis biglandulosis, racemis terminalibus axillaribusque.

Genus *Securidacae* proximum et habitu simillimum, *) sed galea emarginato-bifida (non triloba, scilicet lobulo medio nullo) **) antheris uniloculari-

---

*) Memorabile est, in Africa tropica et subtropica complura genera Americae australis (e. g. Caperoniam et Declieuxiam) vel saltem americanis simillima (uti Lophostylin hanc) occurrere. Etiam genus meum Podiopetalum e tribu Dalbergiearum ad genus americanum Triptolemeam v. *Mart.* tam prope accedit, ut ad id ipsum facile referri posse videam. Hinc in schedula herbarii mei ad Podiopetalum reticulatum in Flora Ratisb. 1841. nr. 42. a me descriptum nuper tanquam synonymon apposui: Triptolemea africana *Hochst.*, quod nomen praeferendum, si fructus, quem inquirere mihi non licuit, duo genera omnino congruere docebit, cum cetera vix differant.

**) In Securidaca longepedunculata *Fresen.*, quae sine dubio ejusdem generis, appendix galeae commemo-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr06935-0234-8

bus, stylo versus apicem dilatato cristato et samarae marginibus ecristatis satis differre videtur. Cui magis placebit, ut cum *Securidaca* conjungatur, sectionem generis faciat.

1) *Lophostylis angustifolia Hochst.* in Schimperi Flora abyssinica exsicc. Un. itin. sine nro. Arbusculum foliis alternis bi-tripollicaribus linearilanceolatis breviter petiolatis obtusis integerrimis, floribus racemosis, pedunculis flore longioribus basi tribracteatis, bracteis exiguis cito deciduis, galea exappendiculata. — Folia pilis brevibus appressis parce inspersa, ut fere glabra appareant.

In Abyssiniae provincia Tigre ad Ferreferam Majo florentem anno 1838 legit W. Schimper.

2) *Lophostylis oblongifolia Hochst.* in Schimperi Flor. abyss. exsiccata Un. itin. nr. 771. — *Securidaca longepedunculata Fresen?* (in Mus. Senckenb. Tom. II. p. 275.) Arbusculum gracile ramis pedunculisque pubescentibus, foliis alternis 1—2 pollicaribus oblongis obtusis integerrimis utrinque minutissime puberulis breviter petiolatis, samarae glaberrimae ala nervis decurvis striata.

Habitat superiorem regionem montium ad fluvium Tacaze in Abyssiniae provincia Tigre, initio Octobris fructifera inventa.

A priori differt foliis brevioribus latioribus nec non ramulis pedunculisque densius pubescentibus.

---

ratur — num recte, cum mihi ne vestigium quidem lobuli intermedii iteratis analysibus videre contigerit?

Num sit *Scuridaca longepedunculata Fres.*, ut videtur, cum nostra solum fructifera, non florifera sit, vix secure discernendum; prior ex comparatione floris cum descriptione *Freseniana* foliis longioribus computatis vix hujus loci, sed facilius nostra oblongifolia angustifoliae nostrae varietas.

Campanulaceae.

Rhigiophyllum (nomen propter folia coriacea rigidissima impositum).

Character: Calycis tubus ovatus brevis cum ovario connatus, limbo quinquepartito laciniis linearilanceolatis tubo multoties longioribus; corolla longissime tubulosa hypocrateriformis, tubo angustissimo calycem longissime superante, limbo quinquepartito laciniis oblongis obtusis patentibus; stamina quinque subinclusa filamentis paulo infra faucem tubo intus adnatis (sed decurrentibus, ut fere usque ad basin conspiciantur); ovarium inferum triloculare, loculis multiovulatis; stylo longissimo filiformi exserto, stigmate trilobo lobis apice patentim recurvis; capsula trilocularis, styli basi persistente operculata, ut videtur (maturam non vidi).

Frutex rigidissimus habitu *Roëlliae* foliis imbricatis squarrosis integerrimis, floribus in capitulum terminale collectis bracteolatis.

Genus Campanulacearum bracteis bracteolisque et foliorum natura mirifice ad Stilbineas spectans.

Rhigiophyllum squarrosum Hochst. in Krausii plt. exsicc. Africae australis nr. 1088. Fruticulus 1—1½ pedalis ramosus ramis erectis, foliis

rhombeo-obovatis acutis coriaceis rigidissimis glaberrimis subquadrifariam imbricatis, basi cuneata cauli appressis, dehinc patentim squarrosis integerrimis nitidis, nervo carinali subtus prominente, floribus purpureis in capitulum terminale collectis, bracteis foliaceis lanceolatis rigidis interpositis, pedicello bracteolis duabus similibus instructo.

Habitat ad Cap. b. spei in solo lapidoso arenoso collium prope Elim ditionis Zwellendamm, ubi Decembri florens detectum a cl. Dr. Krauss.

Rubiaceae.

Kurria (dixi in honorem amici clarissimi Dr. Kurr, professoris Stuttgartiensis, de unione itineraria itinere in Sueciam et Norwegiam olim suscepto optime meriti).

Character: Calyx tubo globoso cum ovario connato, limbo supero brevi acute quinquedentato deciduo; corolla infundibuliformis tubo calycem superante, limbo globoso quinquedentato; stamina quinque inclusa limbi dentibus alterna, ad ejus basin inserta, filamentis brevissimis, antheris linearioblongis; ovarium biloculare multiovulatum, stylus filiformis longe exsertus stigmate globoso subpentagono; fructus capsula obovata coriacea loculicide bivalvis, loculis polyspermis; semen compressum ala membranacea ad umbilicum bifida cinctum.

Arbor abyssinica humilis ramis crassiusculis fragilissimis, foliis amplis oppositis, floribus terminalibus dense racemoso-spicatis. Inter *Cinchoneas* militat.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06935-0237-6

Kurria floribunda Hochst. et Steud. in Schimperi Flora abyssinica exsiccata Un. itin. nr. 277. Arborescens; rami extremi ex articulis brevibus, petiolorum cicatricibus notatis compositi glabri valde fragiles calamum cygneum diametro metientes, versus apicem foliis dense vestiti; folia obovata ampla 5—7pollicaria opposita glaberrima venosa in petiolum attenuata; petioli subtomentosi, stipulae interpetiolares ferrugineae obtusae 4—5 lineas longae; racemus spicatus 4—6 pollicaris densus; terminalis, rachi tomentosula pennae corvinae diametro, undique floribus brevissime pedicellatis tecta; flores exsiccati cinnamomei cum stylo longe exserto 4—5 lineas metientes.

Habitat perquam rara in regione superiori montis Scholoda provinciae abyssinicae Tigre, ubi Junio florens lecta fuit.

Pachystigma (ob stigma crassum).

Character: Calycis tubus brevis hemisphaericus cum ovario connatus, limbus 5partitus (vel rarius 4partitus) laciniis linearibus obtusis corollam subaequantibus; corolla supera campanulata tubo brevi subgloboso intus hispidulo, limbo quinquepartito vel rarius quadripartito laciniis lanceolatis acuminatis tubo sublongioribus; stamina quinque vel quatuor exserta ad faucem inserta laciniis alterna, iisdem breviora, filamentis brevissimis, antheris introrsis lanceolatis basi cordatis; ovarium subrotundum disco carnoso medio impresso tectum, quinqueloculare loculis uniovulatis, stylus filiformis

crassiusculus exsertus, stigmate cylindrico crasso basi et apice truncato terminatus; fructus drupa (bacca?) calyce coronota . . . . . .

Ad *Guettardeas* pertinet, *Ancylantho Desf.*, ut videtur, affine.

Pachystigma venosum Hochst. in Kraussii plt. exsicc. Africae australis nr. 131. Fruticulus 1—1½ pedalis cortice rubicundo, epidermide grisea, ramis foliisque oppositis, stipulis intrafoliaceis acutis conjunctis, gemmis hirsutis, foliis obovatis vel obovato-lanceolatis obtusiusculis vel subacutis 1½—2pollicaribus in petiolum brevissimum attenuatis glaberrimis discoloribus supra obscure subtus laete viridibus reticulate venosis; flores mediocres in cymis breviter pedunculatis axillaribus dichotomis paucifloris folio brevioribus, pedunculi et pedicelli hirto-puberuli, bracteis parvis lineari-lanceolatis praediti; calycis laciniae angustae lineares obtusiusculae tres lineas longae extus glabrae intus hispidulae, corolla extus glabra rubicunda.

Habitat ad sylvarum margines in colonia Natal Africae australis, ubi Novembri florens lectum est.

Mitriostigma (nomen desumptum a stigmate mitraeformi).

Character: Calycis tubus infra limbum patelliformem quinquefidum constrictus, limbi persistentis laciniae valde acuminatae; corolla supra rotata quinquepartita calycis limbo brevior laciniis ovatis; stamina quinque ad faucem inserta antheris sessi-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr06935-0239-9

libus apiculatis; ovarium biloculare loculis uniovulatis intra calycis limbum disco annuliformi tectum, stylus brevis, stigma mitraeforme annnlo dentato suffultum; bacca (ut videtur sicca) ovato-subglobosa calyce coronata bilocularis, semen in loculo unum dissepimento affixum.

Inter *Psychotrieas* (Canthio L. ut videtur proximum) militat.

Mitriostigma axillare Hochst. in Kraussii plt. exsicc. Africae australis nr. 144. Fruticulus 2—3pedalis cortice viridi ramis oppositis glabris multinodosis, stipulis interpetiolaribus acuminatis utrinque solitariis, foliis oppositis breviter petiolatis lanceolatis $1\frac{1}{2}$—3pollicaribus integerrimis utrinque glabris venosis pedunculis brevissimis axillaribus paucifloris, pedicellis glomeratis bracteatis flore parvo brevioribus; bacca ovato-subglobosa corticalis glabra, fere fructum *Pruni spinosae* magnitudine aequans; semen maturum videre non licuit.

Habitat in colonia Natal Africae australis ad sylvarum margines prope *Umlaas River;* Novembri florens et fructibus immaturis parce instructum legit cl. Dr. Krauss.

Lachnosiphonium (a tubo corollae intus annulo villorum vestito nominatum).

Character: Calycis tubus ovatus cum ovario connatus, limbus superus campanulatus quinquefidus lobis obovatis obtusis; corolla supera hypocrateriformis tomentosa, tubo calycis laciniis breviori, intus media parte vilis erectis annulum for-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06935-0240-0

mantibus vestito, limbo quinquepartito laciniis ovatis obtusis; stamina quinque laciniis alterna antheris sessilibus ad faucem insertis linearibus subexsertis; stylus exsertus stigmate crasso bilobo; ovarium quinqueloculare loculis polyspermis. Fructus bacca vel drupa?

Genus e tribu *Gradeniearum Randiae* et *Gardeniae* proximum; a *Randia* differt ovario quinqueloculari, a *Gardenia* corollae tubo brevi et stigmate. Si characterem *Randiae* quoad fructum amplicaveris, *Randia* erit *Randia Lachnosiphonium* mihi. *)

*) Similis arbusculo nostro Randia rudis E. M., quam in Kraussii plt. exsicc. Africae australis nr. 314 et 347 *Gardeniam microcarpam* appellavi, cum ob conformationem stigmatis clavaeformem et baccam tri — quinquelocularem visam potius ad Gardeniam referendam esse existimaverim, quanquam tubus corollae brevis repugnet. Semina neque ad Randiam neque ad Gardeniam spectare videntur, sunt enim ovato-subrotunda compressa et pro fructu parvo satis magna; hinc etiam novi generis?

Inter Rubiaceas novas a cl. Dno Dr. Kraussio ex Africa australi allatas hic sequentes breviter commemorare non absque loco erit.

Gardenia globosa Hochst. nr. 467. foliis lanceolatis integerrimis, calycis limbo parvo quinquedentato, corolla ampla infundibuliformi subcampanulata, fructu globoso majori. Natal.

Burchellia Kraussii Hochst. nr. 422. foliis 3—4-pollicaribus subtus dense hirsuto-pubescentibus, corollae dentibus lanceolatis acuminatis. Natal.

Pavetta revoluta Hochst. nr. 98. foliis obovatis subcoriaceis glaberrimis margine revolutis, cymis terminalibus, calyce brevi glabro, stylo longissimo. Similis P. lanceolatae *E. M.*, quae inter plantas Kraussianas sub nr. 92 et 195. — Natal.

Coffea Kraussiana Hochst. nr. 121. Arbusculum 10—12 pedale ramis glabris atrosanguineis quadri-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr06935-0241-6

Lachnosiphonium obovatum Hochst. in Kraussii plt. exsicc. Africae australis nr. 129. Arbusculum 10—12 pedale, ramulis novellis tomentosis, stipulis interpetiolaribus utrinque solitariis basi conjunctis acutis brevibus, foliis oppositis obovatis in petiolum brevem attenuatis $1\frac{1}{2}$—2 pollicaribus utrinque glabriusculis subtus reticulato-venosis; pedunculi solitarii vel gemini axillares tomentosi florem subaequantes, calycis tubus glaber, limbus appresse puberulus laciniis trinerviis, corolla (alba)? extus intusque tomento brevi vestita, tubus praeterea intus villorum serie erecta ornatus.

---

sulcatis, foliis bipollicaribus subsessilibus ovato-oblongis lanceolatisve obtusiusculis integerrimis glabris; paniculis axillaribus dichotomis folio brevioribus vel subaequantibus, carollae tubo intus villoso, limbo quinquepartito, staminibus quinque. Natal.

Phallaria lucida Hochst. nr. 178. Arbusculum 10—15pedale ramis junioribus tetragonis, foliis obovato-oblongis obtusissimis integerrimis in petiolum brevissimum attenuatis supra lucidis subtus parce venosis glaberrimis, cymis axillaribus et terminalibus, calyce brevissime quinquedentato, corollae fauce intus barbata, stylo longe exserto, stigmate phalliformi plicato striato. — Vidi hoc arbusculum in collectione Dregeana inter Psychotrias incertas relatum, sed si non est Phallaria (genus minus cognitum) potius Plectroniae vel Canthio adscribendum. Natal.

Vangueria tomentosa Hochst. nr. 219. Arbor foliis subsessilibus ovatis 3—5pollicaribus venoso-reticulatis utrinque praesertim ad venas hirto-tomentosis, tomento inferioris paginae fulvido vel subaureo, paniculis axillaribus, folio subbrevioribus, pedunculis calycibus et corollis hirto-tomentosis, corollae lobis cuspidatis, fructu eduli. Natal.

Species ex aliis hujus familiae generibus novas inter plantas Kraussianas serius exponam.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06935-0242-2

Habitat in sylvis primitivis prope Natalbay Africae australis, ubi Novembri florentem legit cl. Dr. Krauss.

Plumbagineae.

Valoradia (dedicavi clarissimo Dno. Dr. Francisco Valorado Olissiponensi viro de flora lusitanica optime merito.)

Character: Calyx hypogynus prismaticus quinquepartitus laciniis lineari-acuminatis trinervibus in tubum conniventibus; corolla hypogyna gamopetala hypocrateriformis limbo quinquepartito; stamina quinque hypogyna antheris linearibus inclusis vel subexsertis; ovarium uniloculare, ovulum unicum e placenta filiformi adscendente libera pendulum, stylus terminalis filiformis quinquefidus stigmatibus simplicibus acutis. Capsula calyce inclusa monosperma subcoriacea apice calyptraeformis, inferne quinquevalvis, valvis maturitate solutis. Semen inversum fusiforme subquinquecostatum furfuraceum.

Suffrutex caulescens ramosus, ramis angulosis nodosis basi petiolorum persistente quasi ochreatis, foliis alternis setoso-ciliatis, florum fasciculis terminalibus bracteatis, floribus bi-tribracteolatis.

Corolla et stylo quinquefido ad *Plumbaginem*, capsula ad *Staticen* proxime accedit, sed calyce ab utroque genere differt.

1. *Valoradia abyssinica Hochst.* in Flora abyssin. exsicc. Un. itin. nr. 253. — (Plumbago eglandulosa *R. Br.?*) Caule ramisque arrectis appresse setosis, foliis subrhombeo-obovatis lanceolatisque glaucescenti pallide viridibus venosis setoso-ciliatis nec non utrinque appresse pilosis, bracteis bracteolisque setoso-ciliatis. Flores Plumbaginis calyces multum excedentes, lilacini, ut videtur.

Habitat in montibus Abyssiniae, praesertim ad latus australe montis Scholoda locis saxosis, ubi d.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06935-0243-8

5. Nov. 1837 florentem legit W. Schimper, Incolis: „Dobossom" germanice: „Leichenschmaus" dicitur.

Valoradia patula Hochst. in Schimperi Fl. abyss. exsicc. sine nro. — Caule ramisque patulis basi glabriusculis, foliis obverse lanceolatis subeveniis breviter setoso-ciliatis supra glabriusculis, non glaucis. Caetera prioris, cum priori lecta.

Daphnoïdeae.

Cyathodiscus (a disco cyathiformi ovarium cingente).

Character: Perigonium simplex coloratum infundibuliforme, tubo cylindrico, limbo brevi quinquepartito, fauce nuda; stamina decem tubo inserta biseriata inclusa, antheris subsessilibus ovato-oblongis bilocularibus introrsis; tubulus vel discus cyathiformis hypogynus ovarium vaginans; ovarium obovatum glabrum subcompressum biloculare, loculis uniovulatis, stylus filiformis terminalis brevis inclusus, stigmate capitato terminatus. Fructus drupa?

Cyathodiscus umbellatus Hochst. in Kraussii plt. exsicc. Africae australis nr. 427. — Fruticulus ramosus foliis sparsis ovato-lanceolatis lanceolatisve subcoriaceis integerrimis glabris supra lucidis subtus reticulato-subvenosis, umbellis terminalibus paucifloris, pedicellis tubo brevioribus.

Habitat in sylvis primitivis coloniae Natal Africae australis, ubi Octobri florentem legit Dr. Krauss.

Annotatio supplementaria ad *Raphidophyllum simplex Hochst.* (in Flora 1841 nr. 42. pag. 667). Nuper cognovi, hanc plantam esse *Gerardiam Dregeanam Bentham*, sed clarissimus autor antherarum structuram praetervidisse videtur, qua a veris Gerardiis planta nostra egregie differt et ad *Sopubiam Hamilton* propius accedit.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr06935-0244-4

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1842

Band/Volume: 25

Autor(en)/Author(s): Hochstetter Christian Ferdinand

Artikel/Article: Nova genera plantarum Africae tum australis tum tropicae borealis 225-240